

dicam illi: pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Pater autem cum vidisset humilitatem filii, & nimis inopia defessum, misericordia commotus est: pro filio humili occidit vitulum faginatum. Memento ergo filii quoniam Christus pro te mortuus est, qui ante fuerat vitulus faginatus. Filius autem illius major contristatus est. Quare occisus est Christus, qui erat vitulus faginatus? Pater autem illius corripiebat illum, dicens: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: Gaudere te oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat, & revixit: perierat & inventus est: O quam beatum populum pro quo Christus mortuus est: quale gaudium pater portat, quando quod mortuum fuerat, reviviscit: & quod perierat inventum est: Ecce sanus jam factus es: noli peccare: ne tibi aliquid deterius contingat. Attende ergo unde cecideris, & plange & age penitentiam: Si quo minus, veniet Dominus tibi, & movebit candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris. Memorare filii Christum reliquisse nonaginta novem justos, & quaesivisse unum hominem peccatorem: & inventum in invio, humeris suis reportasse. Vel illam mulierem que perdidit drachmam: hoc est Ecclesiam hominum peccatorum: & accendisse lucernam, hoc est Christum, qui est lumen justitiae: & illa inventa in stercore, convocasse amicas vel vicinas: id est Ecclesiam gratulasse super inventum hominem peccatorem: & a stercore erectum collocasse eum cum principibus populi sui: hoc est cum Apostolis & Prophetis. Ecce quid faciat penitentia hominis peccatoris: qui dum in stercore jacet, cum principibus invenitur. Penitentem hominem dico: qui diebus ac noctibus ingemiscit & peccata sua elemosynis redimit. Penitentem hominem dico, qui plangit quia fecit malum: & rogat Dominum, ut etiam non faciat quod admisit. Penitentem hominem dico, qui post concupiscentias suas non vadit & a voluntate sua se prohibet. Penitentem hominem dico, qui diligit quod ante neglexit, & quod fecerat obliviscitur. Adherant in te quae bona sunt: & quae mala sunt deleantur. Si penitentiam non egeris, incidet in manus Domini secundum magnitudinem ejus. Diverte a malo & fac bonum: inquirere pacem, & persequere eam: sicut scriptum est: Omnia mala, & quaevis bona. Fac ergo dignos fructus penitentiae: & non dixeris: non peccavi: & quid accidit mihi triste? Non adjicias peccatum super peccatum, & dicas, miseratio Domini magna est. Scito autem quod misericordia & ira ab illo est. Revertere ad Dominum, & plange dicendo: Tibi soli peccavi & malum coram te feci. Delicta juventutis meae, & ignorantiae meae ne memineris Domine. Ne avertas faciem tuam a me, & ne declines in ira a servo tuo. Adjutor meus es tu Domine, ne derelinquas me Domine, neque despicias me Deus salutaris meus. Ne projecias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Sana animam meam, quia peccavi tibi. Libera me de ore leonis, & averte oculos meos ne videant vanitatem. Illumina faciem tuam super servum tuum: & salvum me fac in tua misericordia. Adhaesi testimoniis tuis Domine: noli me confundere. Ne tradideris me in manus tribulantium me. Custodi me Domine ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me. Peccatum meum cognitum tibi feci, & iniquitatis meas non abscondi. Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non avertas faciem tuam a me, in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam. In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. Fac mecum signum Domine in bonum: ut videant qui oderunt me & confundantur. Remitte mihi Domine ut refrigerer, priusquam abeam & amplius non ero.

Ecce penitentia hominis humiliantis se: quomodo veniam non habebit qui taliter ingemiscit? Quis non audiat illum & moveatur? Quoniam qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Melius est te non vovere & reddere, quam vovere & non reddere. Penitentem te dicit, & carnis libidine delectaris. Peccata tua non desinunt ambulare, & tu dicit quod sedeant. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum super os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retractorium. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit nequitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum

detrahebas: & adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti & tacui. Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te & statuam contra faciem tuam. Intelligite haec qui obliviscimini Dominum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic est iter quo ostendam ei salutarem meum.

Ecce qualis comminatio Domini in hominem peccatorem. Tu qui dicit, qui asseris te penitere: ubi est penitentia tua? Exclusa est per superbiam & contemptum: sequi Deum praetermissisti. Audi filii, & retrahite pedem tuum de saeculo, cui renunciaisti. Penitere ergo de omni pompa iniquitatis. Apprehende fidem quam ante perdidisti, ut confiteris diabolo, & tenebris: & Dominum, qui lux est, post dorsum reliqueras. Memorare filii quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Miserebitur tibi Dominus: si haec cum legeris facias, & per obedientiam penitentiam sequaris. Verum si de toto corde penitentiam egeris: si Dominum praeculis habueris: si amissa voragine poculi venenosi calicem salutaris acceperis, si die ac nocte in lege Domini meditaveris, si omnem sollicitudinem tuam super illum miseris: tunc gaudebis & exultabis in Domino qui vicisti malignum. Tunc erit merces tua copiosa in caelis, quia taliter in opera Domini laborasti: tunc erit Dominus adjutor tuus in die iudicii: tunc stabis cum magna fiducia a dextris Domini cum sanctis suis, & dicit vobis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum praeparatum, quod praeparavi vobis pater meus qui est in caelis. Injustis autem dicitur: Ite in ignem aeternum, quem praeparavit pater meus diabolo & angelis ejus. Ubi ignis non extinguetur, & vernis eorum non morietur. Tunc ibunt iusti in vitam aeternam: impii autem & peccatores in ignem aeternum.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Demiror quis hanc Epistolam Hieronymianis admiserit, prodigiosa cujusdam balbutientiae, & modis omnibus talem, ut Joviniani videri possit, quantum subodorari licet ex his quae dicitur Hieronymus ex illius commentariis recensuit.

DE DIVERSIS GENERIBUS leprarum.

ADMIRABLE divinae dispositionis examen: quae exhiberi sibi Deus ac deferri voluit, magno consilio & solerti scientia ac ratione mandavit. Diversa enim hominum moribus genera naturarum: diversis statuit praceptorum sententis gubernari. Aliis enim imaginarium legis opus, quasi sub veritatis colore depinxit. Aliis corpus ipsius veritatis declaravit. Quos enim obvolutos adhuc mundi caligine, ad comprehendenda ea quae germana erant ac solida perpendit: eis observantiae ordine suspensio, subtili quodammodo examine susurravit: quos autem deprehendere posse absolutum praedicationis carmen agnovit, eis Deus perfectam harmoniam solidae vocis intonuit. Inde est quod figuris & aenigmatibus lex prisca depingitur, quoniam dum infirma Judaeorum acies hebetatur, & candidum scientiae claritatis vigorem inspiciendi lumen non habent, necesse est ut in variis figuris figurarum color adhibeatur. Nam illis & virtutum praemia supposita spe promittuntur: & peccatorum notae inveniuntur in corpore. His enim confirmantur alii, quibus alii transferuntur. Praesens lectio exigit hujusmodi ferre sermonem: quae diversa leprarum genera deprehendenda in diversis materiis designavit. Alia enim lepra in parietibus demonstratur, alia humano notatur in corpore, alia in vasculis, alia in veste, alia designatur in stamine. Deinde quae in hujusmodi vulneris loco, crebra ac varia pellicula deputantur. Quid enim dicam? Tot sunt genera quot colores, alia pallida, alia tetra, alia rubicunda. Deinde si homines lepra, quod est infestum naturae vitio, polluantur, quid hi faciunt, qui gravioribus morbis corporum praegravantur?

Sed age jam videamus genera leprarum, ut medelarum causas agnoscere atque probare possimus. Si fuerit, inquit, lepra alba vel rubicunda, sive tetra, vel pallida, vel si florens, ait, hoc est toto corpore decurrens. Nam est detestabilis lepra, quae omnino mundari non possit. Est & quae facilem habeat mundationem. Alia quoque adventitia: alia innata deprehenditur: Quae omnia nisi spiritualiter sentiantur: rationem intelligentiae simplicis non admittunt. Nam di-

vina sapientia, legis suae profundum in hujus extrema saeculi regione, quasi templum suo nomine consecratum, intra civitatis alterius moenia collocavit. Cujus constructio atque opus quamvis magnificentum videatur, interior tamen aditus non omnibus referatur. Multi enim mirantur ornamenta vitiorum: sed interioris scientiae aditus referre non possunt.

Quare oranda est divina dignatio, ut pulsantibus nobis, intelligentiae pateat ingressus. Jubetur igitur diversa leprarum genera sacerdos templi diligenter inspicere, atque earum habitus, vel colores, pleniori consideratione deprehendere. A coloribus enim lepra refertur posse agnosci: quos tamen ad peccatum magis animae, quam ad morbum corporis manifestum est pertinere. Diversi etenim colores, diversas animi indicant maculas. Cum igitur pallida lepra conspiciatur: languens & agra fides animae denotatur. Cum autem rubicunda deprehenditur, mens furore atque iracundia inflammata & homicidii cruore resperfa cognoscitur. Cum vero alba, tunc haereticorum fucata & male munda conscientia condemnatur.

Sed alia lepra in capite: alia oriri perhibetur in barba. Sunt enim Haeretici qui Deum Patrem videntur tantummodo blasphemare: ut Manicheus, qui non solum eum factorem denegat mundi, verum etiam malorum proficitur esse autorem. Hi sunt qui lepram in capite portare videntur. Caput enim, inquit Apostolus, viri, Christus est. Quae vero lepra in barba portatur: hi sunt qui blasphemare videntur in filium. Christum enim in adventu pristino, perfecti viri avum agentem, quasi tricennariae aetatis virilitas decoravit. Sed & si tetra, inquit, & livida fuerit: quid aliud quam lividam & livoris maculis execrandam designat? Si autem, ait, nigra fuerit lepra, fumo utique idololatriae & sacrificiorum nidioribus est notata. Si autem, inquit, florens lepra fuerit, & cooperuerit omnem florem maculationis a capite usque ad pedes: visus sacerdotis iudicabitur. Videbit, enim sacerdos: & ecce lepra cooperuit omnem pellem corporis, & mundabit illum sacerdos a maculatione, quoniam in album mutabitur.

In hac lepra quam quasi albam & florentem designat: diversa crimina varie deprehendit: quia cum mundialis vitae voluptas, quasi candida & florens existimatur: tum grave vitiorum contagium grassatur in corpore. Nam aut avaritiae, aut libidinis maculae perpatescunt. Sed hanc lepram citò dicit posse mundari. Avaritiae enim crimen facile curare potest, qui conversus ad Dominum, & ea quae possederit indigentium alimonia ministraverit: ita ut Dominus in Evangelio ait: Verum date elemosynam, & ecce omnia vobis munda sunt. Libidinem quoque celeriter mundare poterit, si jejuniis frequentissimis & abstinencia corpus retineat. Sed his omnibus medelam per sacerdotem praecipit Dominus adhiberi. Dicit enim esse lepram quae sacrificiorum oblationibus emundetur. Aliam verò quam aquae facilius abluant: nec non & quae extra caltra posita mundetur. Esse quoque lepram asserit: quae mundari omnino non possit.

Horum igitur secundum figuram graviorum peccatorum crimina congregantur. Alia sunt quae ante baptismum videntur esse commissa: quae tamen per gratiam baptismi diluuntur. Alia verò quae post lavationem baptismatis perpetrantur: quae sive graviora, sive minoria peccata sunt, visus tamen sacerdotis emundat. Quodcumque enim modicum delictum fuerit, potest a sacerdote omnino relaxari. Quae autem graviora sunt, disciplina debent Ecclesiasticae regulae & oratione purgari. Quae verò insanabilia sunt, Deo iudici reservantur. Et inde est quod in hoc loco ait: Unumquemque secundum quod habet propriam curationem, sacrificium offerre debere: id est, unumquemque secundum quod se deliquisse cognoscit, sive per carnalem concupiscentiam, seu per idololatriam, seu perjurio, seu mendacio, quasi lepra se vitii intelligit maculatum: prout potuerit, Deo sacrificare non desistat. Sed dicit genus esse leprae, quod omnino mundari non possit: & ideo hujusmodi homo extra caltra jubetur expelli. Hoc est sane crimen, quod admittitur in Spiritum sanctum, blasphemiae scilicet, sicut ipse Dominus in Evangelio ait: qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque hic, neque in futuro.

Adjectum autem scriptura divina, lepram esse in vasculis, lepram in parietibus, lepram in vestibus, lepram in stamine: sed quomodo in his rebus lepra esse possit, penitus ignoro:

Tom. V.

quae quia vita carent, etiam sensu carere necesse est. Sed ego arbitror cum in parietibus domus lepra esse referatur, haereticorum perfidiam notari. Quid enim non polluitur, ubi adulterinae doctrinae blasphemiam praedicatur? Ideo hanc lepram sacerdos jubetur a parietibus emundare, ut Catholicae veritatis doctrinam, maculosa haereticorum verba depellant. Cum autem lepra in vasculis dicitur esse, proprii corporis delicta monstrantur. Vasa autem hominum corporibus comparat Apostolus: Habentes, inquit, thesaurum hunc in vasculis fictilibus. In stamine autem quomodo lepra esse potest, nisi quia stamine anima hominis fidelis designatur? Quae cum tentationibus, ut solum filorum tenuitate torquetur: firmioris virtutis soliditate constringitur.

Stat ergo anima ut densissimum flamen erecta: corporis vero sensus ut trama stamini subjacebit. Et ideo etiam in trama lepram esse designat: quia alia corporis, alia animae peccata significat. Sed quid pro mundatione leprarum, aut duo agni anniculi, aut tortura olei, aut duae gallinae jubentur offerri? In duobus ergo agnis, duo Christi significantur adventus, in quibus credere oportet, ut emundari a lepra peccatorum prius mereamur, unum cum venit & passus est, alium quo est venturus in gloria. Sed vitulum, inquit, offerat: hoc animalium genere, gentes crucis Christi quo subiugandas esse demonstrat. Duae gallinae, animam indicare videntur & carnem. Sed unam, inquit, gallinam occides, alteram aqua ablues & dimittes. Caro utique in passione jubetur occidi: anima vero quae per naturam aeternae morti videtur esse subiecta: abluta aqua baptismatis a criminibus relaxari.

Sed & lignum, inquit, cedrinum. Imputribile hoc ligni genus esse, nemo est qui nesciat. Ergo per cedrum, incorruptam mentem & stabilem fidem voluit ostendi, Hyssopum autem preces orationisque demonstrat. Sed & coccum, scilicet martyrii gloriam manifestat. Qui mediocris est, ait, quod valet afferat: id est, si quis non omnes divitias caelestium est charismatum consecutus, vel potest & si minimum Deo devotionis suae deportare obsequium. Ut si virginitatem quis observare non potuit, unius conjugis saltem castum cubile custodiat: vel qui martyrii trophaeum non valuit reportare, fugae se praesidiis Deo servet invictum. Et olei, inquit, tantulam offerat, utique misericordiae gratiam: etiam si clarissimam sanctimoniam faciem praefere non valuit, lucernam saltem fidei non extinguat. Videtis ergo dilectissimi fratres nullam esse tam exiguum spiritualis gratiae paupertatem, quae ad offerendum sacrificium Deo non quamcumque possit sanctimoniam oblationem offerre.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Quid venisset in mentem divo Hieronymo, ut eadem de re bis scriberet? Quamquam totus sermo clamat, alium hujus Hemilii autorem.

DE DUOBUS FILIIS, FRUGI & luxurioso.

OMNIUM quidem de scripturis quaestionum absolutio illi soli ita ut est, est nota qui dixit: Ego sum veritas. Nos autem oportet pia voluntate accedere, & speciali sensu ad inquisitionem divinarum scripturarum: scientes quod si aliquid vere inveniimus bonum desiderium mentis attentae Deo: inter fines beatitudinis ejus erimus: de qua dicitur: Beatus vir qui implevit desiderium suum. Qualis autem sit hujus concupiscentiae species, adjectio beatitudinis facile declarat audire volentibus, id est, prudenter audientibus. Quod si non potuerimus ad plenam veritatis ipsius intelligentiam pervenire: nec tamen sic longe erimus ab illa beatitudine, quam capiunt qui implent desiderium suum. Neque enim si non ceperimus id munus, cujus praestandi potestas in alterius manu posita est, reprehensionem sustinebimus: sed si in his quae agere praecipimur parcemus, praemium laudis iustae adipiscimur.

Quoniam ergo omnimode demonstratum est, non solum nullius periculi, sed plurimae utilitatis esse scrutari divinas scripturas: disquiramus illam Evangelii parabolam, quae est de patre & duobus filiis. Nam unius rei causa & de ove & de muliere comparationes nobis contextu ordine supra recitatae sunt. Quaeitur ergo quis ille senior frater,

O ij